

tionem et providentiam ipsas ecclesias eo modo tenere defensare et honorare voluerint, faciant. Si vero contradixerint, in episcoporum maneat potestate, utrum eas sic consistere vel reliquias inde auferre velint.⁴⁾ Sane¹⁾ si de communi ecclesia plures heredes contenderint, auferri iubeant episcopi reliquias sacras et ecclesiam claudi, donec communi consensu illic cum episcopi consilio presbiter statuatur.¹⁾

c. 3.

Episcopos sacerdotes ac reliquos in ecclesia militantes a militibus seculi decet esse discretos et separatos nec oportet eos aliquando in seculo militare, per quod ad effusionem sanguinis pervenientes²⁾ ab ecclesiasticis officiis repellantur. Decernimus itaque, ut arma non sumant et inviti in nullam regiam expeditionem proficiscantur nisi ad colloquium, quod dicitur stepno-leidinge, vel si forte paganus exercitus regnum intraverit, ad quos debellandos liberos et servos patria lex ire compellit; tunc episcopi et abbates ad hanc expeditionem navibus proficiscantur, nisi sponte manere^{a)} elegerint vel religiosa loca et cetera ecclesie secundum dispensationem cuiusque episcopi in sua diocesi opem ministrare velint. Volumus autem, ut episcopi abbates et reliqui sacerdotes per singulas civitates burgos et villas populum sibi commissum modis omnibus exhortentur, quatenus contra excommunicatos et turbatores pacis viriliter studeant dimicare, eos pariter commonentes, quod si pro defensione pacis et salvatione patrie fideliter morientur, regna celestia consequentur. Sacerdotes autem et reliqui minoris ordinis clerici si voluerint regum castra sequantur, non utique pugnaturi set reges et populos deo suis orationibus commendaturi.

c. 4.

Constitutiones sanctorum patrum sequentes statuimus, ut quicumque clericorum ab hac hora investituram episcopatus abbacie vel cuius-

^{a)} maiores.

¹⁾—¹⁾ Dgl. c. 36 C. XVI q. 7 (= conc. Tribur. a. 895 c. 32, MG. Capit. 2, 232 3. 24—29).

²⁾ Dgl. c. 5 D. 50 (= Nicolaus I. JC. 2688, MG. Epp. 6, 613 Nr. 104, 2).